



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. XL.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

atque naturæ; nam, de immundo conceptus  
semine, -pronus suū ab adolescentia ad ma-  
lum: reminiscere figmenti, unde componi-  
mur; quod nisi tua vi retineatur, sponte sua  
ad ruinam & interitum tendit, & descendit in  
infernum, quasi lapis.

## C A P. XL.

**I** Ita ad te, Domine, orabam. Sed adhuc per-  
severabat contra me furor tuus; adhuc scri-  
bebas contra me amaritudines, & consumere  
me volebas nequitiis ac foeditatibus meis. Ita-  
que, oppressus amaritudine, dicebam in cor-  
de meo: Oblitus est Deus; avertit faciem suā,  
ne videat: quousque tandem mihi irascetur?  
quousq; me sibi inimicum habebit? Me miser-  
ruin; quam verebar, ne ad me tua vox illa per-  
tineret, Quæretis me, & non invenietis, clama-  
bitis & non exaudiam. Ecce ego miser vultum  
tuū exquirebam, & non inveniebam; auxili-  
um implorabam, & non obtinebā. Sed quam-  
vis à doloribus mortis oppressus, & à pericu-  
lis inferni circumventus, non animum de-  
spondebam, non spem abjiciebam, sustentatus  
fiducia benignæ misericordiæ tuæ, quæ oppor-  
tune importune obsecrata, dabit mihi peten-  
ti, dicebam, tres panes, quos anteponam ani-  
mæ meæ avidæ atque famelicæ, quæ peregri-  
natur à Domino, in hospitio hujus mortalis &  
corruptibilis corporis; videlicet, veram pec-  
catorum meorum contritionem, simplicem  
atque humilem eorundem confessionem, &  
plenam ac cumulatam satisfactionem; quæ  
etsi non dabit mihi, surgens, eo quod amicus  
ejus sim, propter improbitatem tamen me-